

17

18

19

20

21

22

23

24

25

1753.

19. Meister, & L. F.: Fasitrum entum seismographicum,
eius upe datis objecti seismographia et orthographia
invenire seismographiam . . . facti licet methodo
exponit.
20. Pundersack, Joannes: De legitimo liberacionis ab indebito
- 21.¹⁷⁵⁸ Danielius, Andreas Radulphus, Sc: De fato [comitatu] jure per partiam usum servato, quo usucapio
libertatis et individua servatum causa illus-
bantur. 2 Exempl.
22. Staelor, Antonius Nicolaus: In variis matrimonii
perfectionibus et eorum effectibus.
23. Spruzel, Joannes Adianus Thesaurus: Experimenta
circa varia venena in vivis animalibus instituta.
- 24^a² Händlinger, Caspar Laurent: De constitutione contractu
iusticis firmata w. 1.35 v. de 11. oct. et long. constituta.
2 Exempl. York.

25.^a^b Wahl, Joannes Petrus: De validitate et effectu
reservacionis bonorum et hypothecarum in securitatem
residui pretii in rebus praecipue immobilibus
veritatis, vixi Rottermunding, ex civitate imperialis
Francfortensis usitatae.

Wahl, Joannes Petrus: De validitate et effectu
reservacionis bonorum et hypothecarum in securitatem
residui pretii in rebus praecipue immobilibus
veritatis, vixi Rottermunding, ex civitate imperialis
Francfortensis usitatae.

INSTRUMENTVM
SCENOGRAPHICVM

CIVICIS
DATIS OBJECTIS SCENOGRAPHIA

SCENOGRAPHIA SCENOGRAPIAE
CITRA OMNEM PUNCTORVM LINEARVM
INTERSECTIONVM CIRCINI NUMEROVM PERSPECTIVAS
ADDO VVNA

FACILI LIGET MTHODO.

EXPOSITA ET
PER PETRUM MAGISTRI
OBTINENDO.

BRUN. SEPTE. MDCCCLII.

DEFENSER.

A. L. E. MEISTER.

GRAFFINGAE
LITTERIS RAKERIANIS.

15^o ab Wall, Town Historian : Readable off
resolutions Tonkin et hippocastanum
under parts in other principal countries
and their respective histories, in
Transportation militare.

1753.119 A

INSTRVMENTV SCENOGRAPHICVM

CVIVS OPE
DATIS OBIECTI ICHNOGRAPHIA
ET ORTHOGRAPHIA

INVENIRE SCENOGRAPHIAM
CITRA OMNEM PVNCOTORVM LINEARVM
INTERSECTIONVM CIRCINI NVMERORVM PERSPECTIVAM
ADEO VSVM

FACILI LICET METHODO

EXPOНИT ET

PRO GRADV MAGISTRI OBTINENDO

D. XV. SEPT. MDCCCLIIL.

DEFENDET

A. L. F. MEISTER

WEICKERSHEMIO FRANCVS.

GOTTINGAE
LITTERIS HAGERIANIS.

INSTRUMENTUM
SCENOGRAPHICUM
DATA OBJECTI SCENOGRAPHI
THEATROGRAPHI
IN ANNI SCENOGRAPHIA
CIRCA OMNIS PUNKTUM INSTRUMENTUM
INSTRUMENTO CIRCUMSTANTIALE
VOCIS PICTA MUSICA
EXPOSITA
PRO GRADA MAGISTERI
OBTINGENDO
EX SUBLIMISSIMA
ARTIS THEATRICALIS
CONCLAVIS
CITRUS HAGBERGIANAE

ILLVSTRISSIMO DOMINO
GERLACO ADOLPHO
L. B.
DE MVNCHHAVSEN
AVGVSTISSIMI M. BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS INTIMIS
ET RERVM GERMANICARVM
SVPREMO ADMINISTRO
CAMERAE PRAESIDI
ALMAE GEORGIAE AVGVSTAEC
CVRATORI MVNIFICENTISSIMO
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
PERPETVAM FELICITATEM

ILLVSTRISSIME DOMINE,

GERALDO ADOLPHO

DE MUNCHAVSEN

VAGASTRISMI M. GESTI YANNIÆ REGIS

A CONSIGLIO INTIMIS

ET REGRAM GERMANICARVM

SATYRICO ADMINISTRIO

Si, quas ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO sacras esse cupio, pagelae vel eruditione aliqua essent conspi-
cuæ, vel ingenii faltem laude commendabiles; non deesse puto, qui & laudassent consilium hoc, & non

in-

GRATIA EDITIONIS

ingratum TIBI summo studiorum
arbitro, fore iudicassent. Evidem
cum sciam, non ab ingenii aliqua fi-
ducia, sed a summa animi pietate il-
lud profectum esse, neque ad hoc
tendere, ut vel splendorem ab ILLV-
STRISSIMA TVA DIGNITATE,
vel gratiam aliquam in me derivem;
sed ut maxima illius, quae iam in
me redundauit, publicum aliquod
monumentum exhibeam: Eo solo
nomine confido, fore, ut si quid
huius rei audentius a me factum esse
deprehenderis **INDVLGENTISSI-
ME MECANAS**, pro eximia TVA
& omnium ore celebratissima huma-
nitate

nitate, non tam doctrinae quam religioni meae eius gratiam facere digneris, & ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO, meque & studia mea deuota esse patiaris. Deus TE amet ILLVSTRISSIME DOMINE, ita ex bonorum omnium animo precor.

ILLVSTRISSIMAE DIGNITATIS TVAE

CLiens DEVOTVS

ALBERTVS LVDOVICVS FRIEDERICVS
MEISTER.



§. I.

Magnifice nimis de se sentiunt illi, qui
omne in studio mathematico pun-
ctum tulisse, qui geometrae, ciuiles
aut militares architecti, mathematici
postremo sibi videntur, ex quo rerum quarundam, cir-
ca quas illa studia versantur, imagines albo nigroque
exprimere, lectissimis coloribus distingue, ornamen-
tis denique & coronis cingere didicerunt. Ita ut merito
suo reprehendantur, si qui adeo in cortice haereant,
ut tempora seriis rerum mathematicarum cogitationi-
bus impendenda, in solis earum delineationibus con-
sumant. Neque enim, si quando ad ipsum rerum usum

A 2

acces-

accederint, quam pulchras earum imagines, sed quam elegantes reddant rationes, spectabatur.

§. II.

Ex altera parte ii quoque male subducunt ratios suas, qui vt levia haec spernunt, aut quod manu peragantur, aliena à studio mathematico esse putant. Eo magis censendi, si illis imprimis operam suam dicauerint, quae proximum vitae humanae usum respiciunt; si patriam olim munire, defendere, aedificiis ornare, si agrorum fines regere, metalla fodere, machinis praeesse posse cupiant. Neque enim ipsi haec omnia distincte satis cogitare, neque aliis proponere, minime vero opificum in illis perficiendis laborem aut dirigere aut aestimare etiam poterunt, nisi luculentis singula & exactis imaginibus exhibuerint. Destituti hoc adminiculo, leui certe si laborem species quo comparatur, arduo si ex usu aestimes, & haerebunt subinde in opere ipso, & nisi ad omnia adsint & praesenti consilio suo opifices adiuuent, quae pulchre cogitauerint aut male aut lente procedere, non sine insigni temporis & existimationis suae iactura intelligent.

§. III.

Omnium earum delineationum, quae tum ob egregium in rebus mathematicis usum, tum quod obie-

cta

¶ ○ () §

cta non ad oculum sed ad numerum & mensuram con-
structa exhibeant, mathematicarum nomine iure ve-
niunt, scenographicas praestantissimas esse iudico. Fa-
cile sentient mecum omnes, nisi qui sensu pulchri adeo
destituantur, ut ad iucundissima naturae & artis huma-
nae spectacula torpeant. Neminem vero adeo ine-
gantem esse puto, quin cum voluptate aliqua videat,
insignia aedificia, praeclaras vrbes, regiones, celebra-
tissima & temporum & populorum remotissimorum
monumenta, inaccessa sibi, aut vetustate iam collapsa,
mirabili arte in paruis tabulis, ita conspectui suo sub-
iucci, ut quasi praesentia mirari, intrare, circumire, ver-
fari in illis possit. Illam vero voluptatem percipient,
quicunque splendidissima illa Italiae, Pedemontii, Gal-
liae, Angliae theatra, aut praeclaras illas Fischeri ab
Erlachen tabulas historiae Architecturae inseruientes &
reliqua de hoc genere bibliothecae huius Academiae
ornamenta perlustrauerint.

§. IV.

Iam de vnu, quem in omni vita, in omni fere humana scien-
tia & arte praestant delineationes, scenographicae im-
primis, cum pro rei dignitate differere a scopo meo alienum,
verbi solum causa hoc vnum adiiciam. Quantum
intersit tum ad ingenium tum ad ipsum laborem in-
vandum,

vandum, aedificiorum, machinarum, reliquarum rerum quas meditamus, viuas quasi imagines in conspectu habere antequam operi ipsi manus admoueamus, qui ad usum harum rerum se contulerint intelligent omnes, ii vero maxime, quibus architecturae, ornatori imprimis ita operam dare animus est, ut quae considerint artis sua specimina, non usu tantum probentur, sed & oculo placeant. Fidem dictis faciunt, & exemplo ab ipsa re aedificatoria desumto illustrant, quae de dimensione partium in aedificiis ad regulas visus revocanda & corrigenda, tam ex sua quam ex Vitruui & interpretum sententia, acutissime disputat elegantissimus Blondelus in cursu Architecturae a capite ad calcem libri quarti.

§. V.

Delineationes vero scenographicas, ut sunt reliquis & utiliores & iucundiores, ita difficiliores quoque esse, tum meo tum amicorum exemplo doctus sum, quibus vel comitem vel monstratorem in hoc studio esse, mihi contigit. Quod adeo verum est, ut quamquam elementa perspectivae, unius & alterius sere horae spatio tradi possint, quamvis naturali visus ratione & consuetudine ad illa ducamur, meminerim tamen quosdam cum in reliquis ingenio satis prompti essent, in hoc studio

dio parum proficere, alios in limine adhuc constitutos
rei difficultate plane deterri.

Sufficit quibusdam in institutionibus scenographi-
cis terminos artis explicasse, usum regulae, circini,
punctorum, linearum & reliquorum monstrasse, ordi-
nem in labore seruandum praescripsisse, exemplo pree-
visse, elaboratoria denique specimina proposuisse, ut si
quando usus similia exigat, ad illa componi possint. Ita
instructi non possunt non, nouae cuiusvis rei imagine,
turbari, & mechanismo manuum sensim deficiente &
in desuetudinem abeunte, postremo haerere. Alii,
quibus parum inesse ingenii aut exacti laboris studio
scenographicu usum est, nisi arithmeticis & trigono-
metricis rationibus instructo, eo consilio, egregio cer-
te & peritis in arte gratissimo, reliquos harum rerum
parum gnos, aut deterrent a laboribus scenographi-
cis aut impeditiori via ad scopum ducunt. Exemplo
huius rei possunt esse, laudatum opus, Andreae Alber-
ti Zwen Bücher von der ohne und durch die Arithme-
tica gesundenen Perspectiva, vbi & tabulas trigonome-
tricas pro construendis figuris scenographicis reperire
possunt, quibus volupe est illis vti.

§. VII.

§. VII.

Totius rei in eo mihi videtur versari cardo, vt ad scenographicos labores ne admittantur, nisi qui in ichnographicis & orthographicis, quas geometricarum nomine complectuntur, delineationibus iam sint exercitatiissimi; vt diuersa harum natura & ratio, quas dici non potest quoties mente & manu confundant imperiti, & verbis & exemplis quam luculentissime & quam saepissime declaretur; vt ratio reddatur, vnde haec tam diuersae, in ipso labore scenographicico vna eademque pagina misceantur & quasi ad commune centrum confluant; vt denique haec omnia non orerenu solum neque e tabula, sed ipsis rerum exemplis & proplasmatis illustrentur. Grato animo recordor, beatum Pentherum, virum in hoc studiorum genere, dum viueret plane incomparabilem & ob singularem, qua in me fuit, benevolentiam post fata quoque colendum, egregio hoc ingenii nostri adminiculo, mihi paucorum dierum spatio, eam in studio scenographicico lucem accendisse, quam per plures annos frustra quaesueram.

§. VIII.

Sed neque illorum labor difficultate omni caret, quibus in hoc studio plana omnia & perspecta sunt. Conuenient mecum, quibus vsu iam venit obiecta aliquan-

liquantum composita, irregularia, minus consueta ad regulas perspectivae describere. Talia sunt interiora aedificiorum, eorum imprimis quorum vel situs obliquus, vel anteriora oblique reflecta esse concipiuntur. In eiusmodi labore, vere difficult ac improbo, non potest non fieri, vt infinita punctorum, linearum, intersectionum multitudine obruti, vel oculis aberrantibus vel animo non ad quaevis praesentissimo, interdum & haeremus & peccemus.

§. IX.

Illarum imprimis linearum parallelarum horizontalium ac perpendicularium, in quarum intersectionibus puncta obiectorum scenographica inueniuntur, tantus saepe est numerus, tam arcte illae quasi cohaerent, tamque nullum inter se spatium relinquunt, vt oculo ad earum conspectum caecutiente, singulas insequi & difficultimum sit & visui noxiun, nisi longo & taedii pleno labore, digito & acu praeeas. Leuior fit ille labor, neque tam in errores pronus, si lineae diversis coloribus distinguantur, ita vt, quantum fieri potest, cuius obiecti parti pariter ac lineis inde proficiscientibus, suus peculiaris tribuatur color. Ea ratione & oculi solatium & memoria non leue adminiculum accipient, illud tamen incommodi subnascentur, vt quod imaginis scenographiciae vacare debebat spatium pagi-

B

nae,

nae, inutili & indelebili linearum colorumque multitudine deformetur.

§. X.

Quibus scopolis impeditus, cogitau interdum de instrumento aliquo scenographicō, cuius beneficio vel carere illis lineis vel expediri absque multo negotio liberet. Neque defunt instrumenta pantographicorum, scenographicorum, delineatoriorum, catholicorum nomine, in usus delineantium hinc inde proposita & partim non sine magno applausu accepta, vt ex eo ipso appareat, non defuisse viros doctissimos quibus & haec se decere studia & ita comparata esse videbantur, vt instrumentis rite adhibitis aut rectius procedant, aut laboris compendium admittant. Potiorum de hoc genere instrumentorum imagines exhibet, structuram exponit & usum docet Nic. Bion in dem Anhang zur zweyten Eröffnung der Mathematischen Werkschule p. 29. & sequentibus.

§. XI.

Quamuis vero & haec & quae alibi descripta legi aut ipsa etiam vidi instrumenta, ad usum cui quaerebam plane non comparata sint, plurima vero neque ad eum, quem pollicentur, satis mihi faciant; adeo tamen remota a proposito meo, aut adeo nullius momenti esse non censentur.

censeo, vt quaedam de singulis aut monere me pigeat,
aut lectori hic offendere, taedio esse possit.

§. XII.

Plurima in eorum vsum proposita sunt, qui praesentem quasi naturam imitari, qui regionum, vrbium, hominum & aliarum rerum in conspectu positarum imagines exhibere, rudibus ceteroquin in arte pictoria manibus, cupiunt. Huc referendae sunt imprimis cameae obscurae, portatiles & aliae, praecepue vero illae, quae imagines rerum obuersantium, vel in charta vel, quod magis praefstat, in lamina vitri impoliti depictas, ita subiiciunt manibus & stylo, vt illas imitari iucundissimum aequre ac facillimum sit. Neque enim, vt in reliquis accidit, aut capitis aut digitorum adeo umbra partem obiecti delineanti subducit, neque tanto volume constat aut tantos adparatus exigit simplicissima illa machina. Structura eius passim in institutionibus opticis exponitur, imprimis vero in libello, artificibus polliendorum vitrorum commendatissimo, Hertelii vom Glasschleissen. Quomodo cunque constructas, ad vsum delineationum, reliquorum instrumentorum omnium praestantissimas & commodissimas esse iudico.

§. XIII.

Camerae obscurae fere solis rebus ipsis delineandis adhiberi adhuc solent, ita tamen construi posse, vt

B 2

&

& tabulas pictas, figuræ chalcographicas & omnis generis delineationes earum ope imitari licet, docuit Marc. Ant. Cellius, cui hoc artificium vindicatur in Actis Mens. Dec. A. 1687. Totum eoredit, vt speculis vel planis vel causticis tanta lucis copia affundatur tabulis pictis, vt portio inde in lentem vitream reflexa, adhuc nouae imagini exprimenda sufficiat. Reliqua consueto modo se habent.

§. XIV.

Instrumentum delineatorium a P. Cherubino in *Dioptrique oculaire* propositum, praecipuam in eo præstat utilitatem, quod rerum remotissimarum vt phasium & macularum lunæ, ope tubi astronomici visarum imagines, simplici artificio parallelogrammi delineatorii, cuius in sequentibus mentio fiet, designet & in charta a latere expansa imitetur. Arctiori vero limite prospektum circumscribit, quam vt obiectis propioribus ac diffusioribus delineandis cum successu aliquo adhiberi possit, quod si tamen ita instrueretur telescopio vndiquaque mobili, vt citra errorem aut mutationem instrumenti, ex uno obiecto in alterum conuertere & diuersas illas visionis areas, eodem ordine quo una alteri succedit, iunctas nexus continuo describere liceret; eo præstantiorem aliis multis puto fore hanc machinam, quod &

& myopibus inferuiat & pro modo telescopii adhibiti,
in immensum augeat rerum visarum imagines.

§. XV.

Inferiora prioribus, non tam ingenio quam vsu exacto, videntur esse instrumentum Christ. Wren in Actis Phil. descriptum & alia, quorum structurae nerui aut fila, ex lino sive metallo etiam ducta, ita adhibentur, vt acribia totius operis ab illis pendeat. Fieri enim non potest, vt incerta eorum tensio & modo maior modo minor longitudo non omnem fallat laborem. Eodem vitio laborat instrumentum I. C. M. quod columella trochleis & fidibus instructa & circa centrum in plane horizontali mobili, perficitur & cuius imago passim exhibetur. Accensenda huic quoque est machina quam Ioh. Franc. Niceron in Thaumaturgo optico scenographicici catholici nomine, exponit & Ludou. Cigolo vindicat.

§. XVI.

Simpliciori artificio construitur & vitio chordarum caret instrumentum Beniam. Brameri; sed & duplice naeuo, prioribus ignoto, laborat. Primo enim non omnibus promiscue obiectis delineandis inferuit, sed vel illis tantum, quae subiacent horizonti visus, vel quae altitudine illum superant. Deinde quod maximum est,

tas describit rerum imagines, quas si quis ita contemplari velit, ut veras esse sibi appareat, non situ con-
fuetu & ad horizontem visus rectangulo sed declivi, ob
oculos ponat, necesse est.

§. XVII.

Notissimum est illud instrumentum delineatorium,
quod constat ex reticulo reple intexto, cuius ope ob-
iecta diffusiora vel ex alia ratione ad delineandum diffi-
ciliora, ita in areolas quadratas minores dispeſcuntur,
ut quas singulae exhibent obiecti partes, respondentibus
chartae delineationi inferuentis, quadratis assignare
& cuncta suo loco & ordine describere, vel leuiter
in hisce versato facillimum sit. Oculus spectatoris de-
lineantis dioptræ applicatur, quæ si ita mobilis reddatur,
ut modo proprius modo longius abesse possit a re-
ticulo, illud commodi praefstat, ut vel maiorem vel mi-
norem reddere visionis aream possimus. Vidi quo-
que eandem machinam, loco retis lamina vitri ita instru-
ctam, ut in illa ipsa obiectum, vel penna & atramento vel
penicillo, describeretur; sed multa sunt, quæ ab illa ra-
tione dehortantur, maxime vero hoc, quod vitra scri-
bendo & delineando, ob nimium laeuem & duritem,
omnium minime apta sint.

§. XVIII.

§. XVIII.

Nouum denique, & tum ob simplicem fabricam
tum ob exactum in declineando vsum, commendabile
instrumentum proposuit Ioh. Christ. Bischoff in seiner
Einleitung zur Perspectiv, quod cum praecedenti quo-
dammodo conuenit, nisi quod in locum plani transpa-
rentis substituat chartam expansam, in cardine ita versa-
tilem, vt modo clausam modo apertam fenestram refe-
rat. Quocunque igitur, aperta hac fenestra, obiecti
punctum index peculiaris a latere adfixus monstrauerit,
illud clausa quoque, suo loco designat in charta delineato-
ria. Neque vero ope huius neque illorum instru-
mentorum, quorum §. 17. 18. 19. mentionem feci,
tam describere obiecta ipsa, quam puncta quaedam eo-
rum inuenire licet, ad quae reliqua eo facilius compo-
nantur, quod secus est in illis de quibus §§. 15. & 16.
monitum est.

§. XIX.

Reliqua, quoad de illis mihi constat instrumenta
delineatoria, constructis iam dum rerum imaginibus,
aut ad eandem aut ad diuersam mensuram imitandis in-
seruiunt. Praetermitto vero simplicissima & vulgaria
illa, quorum vus exigit, vt typus atque ectypus sibi
imponantur, vt charta oleo peruncta, planum trans-
parens

parens luci obversum, charta fuligine perfricta cum stylo, acus quae à copia facienda nomen habet, rete inductum & alia. Neque enim in chartam semper, aut membranam, aut aliam materiam quodammodo pellucidam scripta sunt, neque vel loco suo mouere, ac transfigere, aut stylo depresso deformare licet exempla, quae imitamur.

§. XX.

Alia itaque in hunc usum proposita sunt. Huc pertinet imprimis circinus cum instrumento goniometro, quorum quamvis in figuris rectis lineis circumscriptis, usus egregius & exactus sit, in reliquis tamen aut nimis operosus aut nullus fere deprehendetur. Sunt, qui in vicem instrumenti consueti transportatorii, in illo labore adhibent circinum tricuspidem, seu tribus cruribus instructum, non sine insigni laboris compendio & emendatione.

§. XXI.

Instrumentum Byrgii, siue circinus ille duplii instructus crurium pare, ut res exigit aut aequali longitudine aut diuerso, ut infinitum quem in multis aliis rebus praestat, usum taceam, in eo iam egregium est, quod figuris geometricis, ad quamvis rationem vel augendis vel minuendis, omnium commodissime inferuit.

§. XXII.

§. XXII.

Adiunxit usui huius instrumenti peculiarem rationem, ope regulae norma mobili instructae, angulos ex una in alteram paginam transferendi, Andreas Albertus in laudato iam opere de Perspectiva. Quo artificio illis imprimis confultum iuit, qui delineationibus scenographicis, ad geometricas construendis operam impendunt, quasque tumultuario labore & intra angustos limites conceperant imagines, & nitore & numero aetas imitari amant.

§. XXIII.

Instrumentum pantographicum, quod & parallelogrammi delineatorii, ciconiae aut simiae nomine aliis venit, peculiare plane in eo habet utilitatem, quod non puncta solum quaedam ex typo transferre, sed & lineas ducere & totum exemplum, ex una in alteram paginam commode transscribere, eius ope liceat. Sed & conspectui rerum ipsarum praesentium delineando, inservire posse, docet instrumentum §. 16. expositum. Structura potest esse varia, cuius & specimina aliquot assert, & quibus rationibus geometricis nitantur, praeclare demonstrat, usum denique ostendit & commendat Cl. Fr. Milliet Dechales in Perspectiva T. III. Mundii mathematici. Ali quanto minus placuit hoc instru-

C

mentum

mentum beato praceptor meo Penthero, qui erro-
neum illud iudicat, & in vicem eius circinum Birgii
commendat in Lexico architectonico, voce: Copitren
& alibi. Verissimum est hoc iudicium, si de instrumen-
to, vt solet esse, ex ligno rudi Minerua elaborato, la-
tum esse censeatur, quod & infeliciori adhuc consilio,
ad augendas vel minuendas figurās obiectorum, ab im-
peritis adhibetur. Nullus vero dubito, quin ea ratio-
ne construi possit, vt & hunc usum praefet & errore
careat.

§. XXIV.

Ipse denique beatus Pentherus nouam, delineatio-
nes geometricas & alias ad quamvis mensuram imitandi,
rationem proposuit in Praxi Geometriae. Paucis illa
constat sumtibus & paruo adparatu, sola nempe regula
& norma lignea, sed multo labore. Ad peculiarem
tamen illum usum, certa conditione circumscriptum,
cuius gratia primum adhibita fuit, reliquarum omnium
praestantissimam fuisse, facile appetet.

§. XXV.

Sunt & alia instrumenta compluria, non tam omni-
bus ac integris figuris, quam lineis varii generis de-
scribendis inseruentia, sed eo ipso à praesenti negotio
alienora. Speciminis loco videri possunt, quae ad co-
lumna-

luminarum ambitum linea circulari, conchoidali, parabolica, elliptica ac hyperbolica, instrumentorum ope, designandum refert Blondel. in Cursu Archit. P. II. C. V. vt alia taceam.

§. XXVI.

Haec sunt fere, quae de varia ratione, aut naturali ipsam aut aemulam illi artem, instrumentis delineatoriis, imitandi mihi innotuerunt. Esse vero & alias adhuc multas, forte praestantiores sed arcanae magis, persuadent ea, quae monet laudatus iam Bischoff in §. 222. Perspectivae, vbi merito succenseret illis, qui in publica commoda peccare yidentur, dum nescio quo consilio illas celant, quas vero ipse in peculiari, quam meditabatur Geometricarum & Architectonicarum delineationum institutione, publici iuris facturum esse spondet.

§. XXVII.

Frustraneo aliquamdiu labore perlustratis illis instrumentis, quae cum ad scenographicarum tum ad aliarum delineationum usus, proposita esse sciebam, cum in toto hoc adparatu, neque illam ipsam machinam, cuius idea & usus animo obuersabatur, neque adeo ullam aliam deprehenderem, quae ad istum usum adcommode dari facilis negotio posset; de construendo magis eiusmodi instrumento, quam porro querendo coepi cogita-

re. Quo iure quoque successu, ii iudicent, quibus instrumentum scenographicum, quod statim exponam, inspicere & vel cum aliis eiusmodi vel cum ipso vſu in quem propono, conferre vſum fuerit. Si actum in eo laborem egi; non est vt eius poeniteat, tanto enim non constat: si parum acceptum aut probatum; aequo animo feram, cum neque mihi ipsi vel mea vel aliorum omnia satis placeant.

§. XXVIII.

Antequam vero sigillatim exponam, generaliora quaedam monebo. Accommodauit hoc instrumentum ad methodum Perspectivae Sirigatticam, tum quod illam reliquis & perspicuam magis & vſu faciliorem iudicare, tum quod instrumentum, quasi sua sponte admitteret.

§. XXIX.

Vſus, quem praefstat machina, praecipuus in eo consistit, quod in delineationibus obiectorum quorumcunque scenographicis, ad ichnographicas & orthographicas construendis, tota illa punctorum, intersectionum, radiorum, linearum multitudine, alias necessaria nobis inutili, non sine summo & laboris & temporis compendio nos liberet. Reliquos suo loco subnectam.

§. XXX.

§. XXX.


Totius instrumenti magnitudo partim ab arbitrio artificis, maxime vero ab ipsa operis, cui inseruire debet, magnitudine pendet. Singularum vero partium mensuram ideo certis numeris adstringere nolui, quod & illam ipsam, sine insigni instrumenti damno vel errore, augeri & minui posse puto. Ex vsu facilius & tutius, quam ad regulas ista determinari, sciunt omnes, qui vel suas ipsorum vel artificum manus mechanicis exercent laboribus; meorum vero neque temporum neque rerum ratio permisit, ut instrumenti mei priuatim prius, quam publice, periculum facerem. Parum tamen à iusta partium mensura aberrabunt spero, qui ad typos integrum machinam sistentes, scala quacunque adhibita, illam component.

§. XXXI.

Quoad materiam, corpus machinae ex ligno, minores partes & compendii & acribiae maxime causa, ex orichalco conficienda esse censeo; nisi ferrum malint qui sumtibus parcunt. Quamquam illi, in artificiois eiusmodi, non tam in pondus materiae, quam in fabricam impendantur, ut parum proficiant frugalitate sua, qui in ferro aut materia adhuc viliori compendia quaerunt.

C 3

§. XXXII.



§. XXXII.

Fiant igitur, ex ligno satis duro & sicco, tres vel amplius tabulae delineatoriae *a b*. Vna *a* sit exacte quadrata, reliquae aut quadratae aut oblongae, omnes vero & latitudine & altitudine aequales. Neue aëris cibis etiæ obnoxiae, incurvantur aut dehiscant, non ex continuo ligno caedendae sunt, sed ex quatuor ligni recti portionibus decussatim consuendae vel, quod aequæ praefstat, replo cingendae.

§. XXXIII.

Vsus harum tabularum exigit, ut & sigillatim delineationibus inserviant, & iunctæ quasi continuam tabulam constituant, in qua labor scenographicus perficiatur. Vna enim *a* tanquam basis totius instrumenti consideranda est, cui reliqua infixa, imposita vel adstructa sunt. Binae alterae solis ichnographicis & orthographicis obiectorum delineationibus vacant, quae si seorsim construantur, expeditiorem reddunt laborem.

§. XXXIV.

Ideoque in tabula illa primaria *a* a duobus lateribus *cd* & *ed* contiguis ducantur sulci, arctiores qua patient, versus interiora sensim latiores, quibus respondent regulæ seu pinnae *c* reliquarum tabularum vni & alteri

alteri lateri adstructae, caudam hirundinis siue securiculam referentes. Ea ratione, vel si placeat conuersa, constructae tabulae, quotiescumque videbitur, sibi iungi poterunt, ita ut quamquam firmiter cohaereant, secundarias tamen illas tabulas *b* huc illuc mouere & in quovis situ sistere, liberum sit. De commodis huius rei suo loco monebo. Et quo minus periculum sit, ne illae, inter ipsum laborem scenographicum, aut vacillent aut loco cedant, cochlea *f* caueri potest, quae in inferiori vnius tabulae parte, paruo loculo latens, in tabulam contiguam pressim nitatur.


§. XXXV.

Bina altera tabulae primariae latera sibi contigua *cg* & *ge* & ipsa fulco *g* aperiantur, sed rectangulo, neque, vt in prioribus, ad speciem prismatis triangularis declivo. Muniuntur praeterea lamina ex orichalco facta, quae, arctiori aliquanto crena instructa, caua ligni margine praecingat. Vfus ex sequentibus patebit.

§. XXXVI.

Construantur binæ regulæ *hi* fere similes, & ad commune centrum mobiles. Firmiores oportet esse, vt rectam lineam feruent neque, dum mouentur, elasticitate sua cedant. Latiiores quam crassiores vt sint, eadem ratio suadet.

§. XXXVII.



§. XXXVII.

In altera vtriusque regulae extremitate, afferruminetur vel ex integro fiat circulus sive annulus *b*, cuius centro respondeat dextra vnius, sinistra alterius regulae margo, eo consilio, vt in motu earum circulari, istae margines radios ex hoc centro profectos nunquam non constituant. Annuli dimidiam habeant regulae crassitudinem, aut quoquis alio modo, si placet eo quem D exprimit, ita adstruantur, vt regulae circa idem non modo centrum, sed & in eodem plano horizontali moveantur.

§. XXXVIII.

Axis *k* mouendis regulis inferuiens, insistit breviori regulae *n*, cuius ope in sulco *qd* abaci *a* postmodo describendo, mobilis est. Ex cylindrico transit in prismaticum & definit cochleatus. Quia prismaticus est, transfigitur laminae ferreae *l* firmiter inhaerenti & noto artificio cauenti, ne matrix cochleae *m* reliquis affricetur, neue circulorum *b* quibus constringendis adhibetur, motum sequatur. Ex altera quoque parte, firmiori cochlea *k* & matrice *o* instruendus est axis, vt in crenam abaci diagonalem demissus, constitui in quovis puncto & stabiliiri possit.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Aperiatur insuper, in utraque regula modo descripta, crena lateribus parallela *b* angustior superne, versus inferiora dehiscens, qua definit *q* paullulo apertior, ut quae in illa moueri debet pinna cursoria *r* statim describenda, immitti possit.

§. XL.

Fig *r* exhibet cursorum vel, si magis placeat, cursorum, qui ope pinnae suae, regulae in §. praecedente descriptae committitur, intra crenam mobilis est & superstructum sibi axem, in quolibet puncto, cuiusvis radii illa regula descripti, sistit. Axeos huius eadem est structura ac illius, quem §. 39. exposui; usum statim indicabo.

§. XLI.


Fiant binæ aliae regulæ *nu* norma *xx* instructæ, exacte similes, nisi quod vna sit paullulo eleuatorior altera, usus enim quem suo loco exponam, ut in diuersis planis horizontalibus moueantur, exigit. Alterutram itaque demonstrasse suffecerit.

§. XLII.

Norma *xx* ab interiore latere pinnata, exacte respondeat abaci lateri, vti in §. 36. monitum est, lami-

D

na



na g praemunito. Clavis cochleatus y elatere z instru-
ctus, immittitur normae forami quadrato z, & ex
altera parte recipit matricem a. Ita instructa & in
crenam g abaci immissa norma, ope elateris laminam,
qua cuitas ligni praecingitur, ita constringit, vt quam-
quam ipsa huc illuc, secundum marginem abaci, moue-
atur, neque vacillet tamen neque ab ea recedat, & in
quouis puncto, ope cochleae stabiliri possit. Manu-
brium n ex ligno adstructum, matricem a clavi coch-
leati quodammodo tegat, vt ne manu inter ipsum la-
borem illi applicata, ex improviso matrix circumaga-
tur & ita situ suo parallelo deturbetur norma cum re-
gula.

§. XLIII.

Ex hac norma surgat regula, ex firmiori lamina
confecta, ad eam altitudinem, vt regulas bi §. 37. descri-
ptas vna cum axibus k & t superet. Vna harum regularum
tantillo altius surgat, vt & super alteram ipsam e-
mineat. Vbi ad iustam altitudinem peruenit, ad an-
gulum rectum deprimatur. In eo situ, horizontali &
ad normam xx exacte rectangulo, procedat ad confinia
vsque abaci opposita cd & ed; ibi descendat & desinat
in annulum n, qui axi mobili t §. 41. indicato, immisus
& interiecta ferri lamina s, matrice d constrictus, circa
eum moueatur. Praeterea & haec quoque regula cre-

na

na longiori & lateribus parallela aperiatur, in qua moveri possit pars machinae sequenti §. exponenda.

§. XLIV.

Fig. n^o 9 exhibit pinnas, decussatim sibi imponendas & in crena regularum ita antrorum retrosum & ad utrumque latus mobiles, vt totius instrumenti indicem & fidei suae commissum, in quoconque placuerit plani horizontalis puncto, sistant. Medium occupat foramen, cui index immittitur &, ad continendas regulas, matrice j constrin- gitur. Ipsius structura ex iconē patet; illud tamen moneo, cuspidē chalybea firma, acutissima & in apicem pyramidis triangularis desinente munitum, ex altera vero parte ita instructum esse debere, vt pinnae nō infixus, neque vacillet neque adeo circumagi vlo modo possit. Ab hoc enim tantum non totius laboris penderet acribia, vt cuspis indicis exacte respondeat axi illius. Quod si vero vel maxime ab illo aberret, eo artificio, de quo monui, efficitur, vt vbique aequali ratio- ne aberret, quod in praesenti negotio aequē praefstat ac plane non errasse.

§. LXV.

Tabula seu abaco a regulis suis ita instructo & fun- damenti loco posito, superstruatur mensula delineato- ria, in qua imagines scenographicæ describantur. Con-

D 2

stat

stat illa ex binis replis quadratis $\kappa\lambda\mu\nu$ & $\xi\sigma\tau\zeta$ quae quatuor fulcris sive columellis σ iunctim innisa, mensae speciem non inepte referunt. Quod inferius ponitur replum, intra binas cuiusuis fulcri matrices τ continetur, earumque ope non ad iustum modo altitudinem, sed & ad situm exacte horizontalem, eumque firmissimum euehitur. Superius inferuit chartae delineatoriae, glutine aut quovis alio modo, tentissime expandendae. Ita inhaereat fulcris, vt ne, dum sursum deorsum moveretur, vacillare vlo modo possit. Quatuor elateres, qui in superficie inferioris repli haerent, illud praestant, vt quotiescumque depresso fuerit superius, cessante vi, in pristinum situm restituatur. Ceterum ea sit mensulae altitudo, vt replo superiori ad inferius strictim depresso, index ζ apicem ϕ in chartam expansam infigat.

§. XLVI.

Quo ordine iungendae sibi fint, quas sigillatim exposui instrumenti partes, tum ex imaginibus facile colliget, tum ipso vnu deprehendet earum artifex. Cuius rei & rationem aliquam habui in declinatione Fig. C, in quam non promiscue omnia & fortuito conieci neque, quod in plurimis horum fieri solet, ex spatio paginae ordinavi, sed, quoad licuit, singula & suo loco & eo ordine designavi, quo in construendo instrumento iun-

iungenda sunt. Quae si quis recte inspiciat, & cum reliquis iconibus conferat, quod & ipsum facillimum est, cum in omnibus eadem instrumenti pars, eadem quoque litera insigniatur; non erit ut verbis vltius admoneatur.

§. XLVII.

Transeo itaque ad ipsum instrumenti usum, qua-
que ratione procedat, paucis exponam. Ante omnia
vero rite construantur ichnographica & orthographica
objeci delineatio, cuius conspectum exhibere cupimus.
Vtraque in peculiari sua tabula separatim describatur,
aut descripta iam, cera, glutine aut alio modo super
illam expandatur. Totum artificium, quo construenda
sint illae delineationes, non attinet hic exponere; aut e-
nim calleant iam, qui ad scenographica accedunt, aut
aliunde petant. Aliqua tamen de eo ut moneam, instru-
menti ipsius ratio suadet.

§. XLVIII.

Ita nimurum instructas esse debere ichnographias
objectorum, scenographicis laboribus inferuentes,
ut non illas modo partes, quae in conspectu nostro
reuera sunt, sed & quasdam illarum, quae in in-
terioribus latent, eo loco designatas exhibeant, quo
visuri essemus, nisi aliae propiores conspectum im-
pedirent, & sciunt omnes, & usus quoque huius in-

D 3

stru-

strumenti comprobat. Ita vt, si quis aedificium aliquod ad usum perspectivae, ichnographice designet, non ea tantum, quae tecto superstructa & in eo conspicua sunt, vt fastigia, luminaria, fumaria sed & ea, quae teguntur tecto, fenestras, ianuas, scalas, columnas, porticus & alia vna exhibeat, necesse sit. Quod si itaque iusto impeditor ea ratione foret obiecti delineatio, si in uno eodemque plano haec omnia sisterentur; facili negotio, loco vnius plura adhiberi poterunt, in quae aedificii partes tabulatim digerantur. Iam §. 33. monui, plures construi posse tabulas delineatorias, ita diuersae obiecti ichnographiae, prout res exigit, modo iungi instrumento modo locum aliis cedere, commode poterunt.

§. XLIX.

Quod de ichnographicis delineationibus monui, de orthographicis quoque intelligendum esse, inde facile colligitur, quod illae non tam modo construendi aut genere representationis, quam situ obiecti & ita solo fere nomine, differant. Praeterea vero notandum est, non anteriora obiecti, quae solent alii, sed orthographiam illius lateris, quod spectatori ad dextram est, labore nostro adhiberi.

§. L.

Breviorem non modo ac faciliorum, sed & emendatiorem reddent laborem scenographicum, qui praecipua

cipua obiecti puncta peculiaribus designauerint literis, numeris aut aliis signis, neque vero sine ordine & delecta adscriptis, sed ut singula in ichnographica, orthographica & scenographica obiecti delineatione, vni eidemque puncto respondeant. Cum vero saepissime accidat, vt, quae in ichnographia separatum spectantur puncta quaedam, in orthographia coincident, quod & conuersa ratione valet, vnico eiusmodi puncto, reliquorum omnium post illud latentium signa, eadem serie adscribenda esse puto, qua partes obiecti illis designatae fese excipiunt. Speciminis loco esse possunt puncta Fig. A B & D literis c, d, e, g, λ, ν, μ, ς, ο, π, ξ, η, insignita; in reliquis vero neque spatii angustia permitit, neque res ipsa postulauit, vt eandem rationem sequeret.

§. LI.

Ichnographiam & orthographiam ita in tabulas suas designatas esse debere, vt aequali spatio distent ab anteriore margine, quo reliquo instrumento iunguntur, non est ut moneam. Neque errori hac in re, licet minimo, venia datur, sed priusquam ylterius progrediaris medendum est.

§. LII.

Proxima ab illis cura sit, vt axis & eundem situm habeat intuitu obiecti, in vtraque tabula geometrice delineati,



lineati, quem spectatoris oculus, ipsum obiectum intuentes, habere concipitur. Tria vero hic consideranda venire constat: Distantiam oculi ab obiecto, altitudinem eius seu eleuationem a basi, cui vel insistit vel insisteret fingitur obiectum, & punctum obiecti in quod oculi acies dirigitur, seu axem coni illius visualis, cuius speciem referunt radii ab obiecto in oculum reflexi. Quorum vti ratio habeatur in disponendo instrumento, sigillatim exponam.

§. LIII.

Vt, modo maiori modo minori spatio, abesse possit axis *k* ab obiecto, ad hoc ipsum mobilem reddidi in crena abaci diagonali *qd*, ea quidem ratione, vt quounque in puncto consistat, aequali interuallo ab utraque obiecti delineatione distet. Praefstat hoc abaci forma, quam exacte quadratam esse debere, iam §. 33. in hunc finem monui. Quod si vero axis *k* remotior esse debeat ab obiecto, quam instrumenti aut tabulae a magnitudo permittit, delineationes geometricae vel in remotiori tabularum parte collocandae, vel quod magis praefstat, ad minorem mensuram erunt describendae.

§. LIV.

Vt axis *k* intuitu delineationis orthographicae, eadem cum oculo spectatoris altitudinem habeat, dupli ci ratione efficitur. Primo enim orthographia ipsa in tabu-

tabulam ita designanda vel collocanda est, ut lineae horizontali, iusta infra axem altitudine ductae insistat. Quod si vero in eo erratum fuerit, aut noua etiam ratio suadeat, forte illa quam §. praecedens offert, ut situm axeos mutemus, facillimum erit, ope artificii §. 35. expositi, hunc errorem corrigere & situm tabulae, ad hoc ipsum mobilis, axi aut si magis placeat oculo orthographice considerato, accommodare.

§. LV.

Eadem fere obseruanda sunt intuitu delineationis ichnographicae, ita collocandae, ut radius *k b* ichnographice visus, ad horizontalem *k b* orthographice spectatum, perpendicularis, idem feriat obiecti punctum, in quod oculus spectatoris dirigi concipitur. Tutissimum fuerit, ab initio statim, in describenda ichnographia, huius rei rationem habuisse; que si neglecta fuerit, tabulae mobilis obsequio corrigitur.

§. LVI.

Instrumento ita instructo, additis quoque vtriusque generis regulis & indice suo loco defixo, imponatur mensula, vna cum replo illo mobili, chartam expansam continente. Ope vero cochlearum & non ad iustum modo altitudinem erigantur, quod iam §. 46.

E monui

monui, sed & situ, ad planum in quo cuspis indicis ϕ mouetur, exacte parallelo. *m* Cuius rei periculum facere, indice hinc inde chartae subiecto & infixo, tutissimum erit.

§. LVII.

Iam ad usum parato instrumento, quodcunque obiecti punctum, in geometricis delineationibus expressum, scenographice exhibere, tribus temporis momentis licebit. Primo enim una regularum *w u*, norma *xx* instructarum, ope manubrii *w* sinistra manuprehensi, ad eum situm perducatur, ut regula *bi* motum prioris secuta, punctum orthographicum tangat. Secundo altera regularum *w u* norma *xx* instructarum, ope manubrii *w* dextra manuprehensi, ad eum situm perducatur, ut altera regula *bi*, eius motum secuta, idem punctum ichnographice exhibitum tangat. Tertio, vtraque manuprehensum replum cum charta expansa deprimatur, in quam defixa indicis cuspis, punctum obiecti scenographice designabit.

§. LVIII.

Designatis vero ita, uno post alterum, punctis & ope linearum inter se rite coniunctis, imagines ipsas describi, non est ut moneam. Neque tamen quaecunque obiecti puncta, sed praecipua & notabiliora tantum,

tum, neque illa promiscue, sine ordine & delectu quereenda sunt; sed ea ratione, ut primo generaliorem & simplicissimam obiecti imaginem, quam photographicam dixeris, exhibeant, ex qua reliquae partes minores, aemulo quasi naturae artificio, sensim sensimque evoluantur, ita, ut subinde proprius ad obiectum accedere & distinctius videre tibi videaris. Faciliorem ea ratione & emendationem fieri laborem, res ipsa docebit.

§. LIX.

Structuram & usum instrumenti indicasse sufficiat; de singulis enim rationes opticas reddere, & inutile & a proposito alienum esse iudico. Neque enim illas desideraturos esse puto, qui principiis Perspectivae instrumenti sunt, neque intellecturos fuisse, qui illis destituantur. Malo itaque tria adhuc verba, de instrumento ad alios usus accommodando, subiungere.

§. LX.

Non negauerim, ad id genus perspectivae, quo rerum praesentium imagines delineantur, instrumentorum quaedam, quorum in superioribus mentionem feci, & praestantiora esse meo & expeditiora. Si cui tamen defint illa, hoc ipso, eodem modo & successu poterit vti, quo B. Brameri §. 18. laudato instrumento.

E 2

Lateri


Lateri nimirum inferioris repli clavo cochleato χ infi-
gatur, aut quoconque alio modo adstruatur dioptra ψ :
Indici vero ζ iungatur brachium ω , longitudine fere
aequans regulam wu , qua nititur. Stylus α , in tubulum
elasticum et defixus, è dioptra prospicienti, obiecti pun-
cta indicat, quae in depressam chartam, more solito, refert
index ζ . Quodsi hoc instrumentum, ex horizontali situ
suo in verticalem transferre, visum fuerit; ea ratione du-
plici illo naeuo, quo laborare dixi instrumentum Bra-
meri, facilime liberabitur, diuersam vero ab illa, quam
modo exposui, dioptræ & indicis rationem desiderabit.

§. LXI.


Quamquam neque ab vsu imitandarum, seu de
charta in chartam transferendarum delineationum, pla-
ne abhorreat instrumentum; facile tamen video, magni
rem fore laboris & exigui vsus, neque illi, quem alia
praestant, comparabilis. Ideoque superedendum
esse huic labori existimo.



Tab. I.



Tab. I.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-663757-p0051-3


DFG


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-663757-p0052-9

DFG

Tab. II.








Göttingen, Diss., 1753 M-2



VdA





1753, 19
1
**INSTRVMENTVM
SCENOGRAPHICVM**

CVIVS OPE
DATIS OBIECTI ICHNOGRAPHIA
ET ORTHOGRAPHIA
INVENIRE SCENOGRAPHIAM
CITRA OMNEM PVNCTORVM LINEARVM
INTERSECTIONVM CIRCINI NVMERORVM PERSPECTIVAD
ADEO VSVM

FACILI LICET METHODO
EXPOΝIT ET
**PRO GRADV MAGISTRI
OBTINENDO**

D. XV. SEPT. M D C C L I I I.

DEFENDET
A. L. F. MEISTER
WEICKERSHEMIO FRANCVS.

GOTTINGAE
LITTERIS HAGERIANIS.